

Lekton = dicibile

«Lektón» hoc loco explanandum proponitur, quod est notio fundamentalis rationis cognoscendi et judicandi Stoicae. Lektón est adjetivum verbale verbi «légein», quod significat id, quod dici potest; Stoici hoc adjetivo ut substantivo utebantur, quod idem valet atque judicium; etenim lektón est terminatum judicium mentale, non orale; est ergo animo inclusum, nondum ore prolatum; quo judicio veritas aut falsitas rei indicari potest; ut autem illud lektón oriatur, tynchánon quoddam procedere et in mundo sensibili existere debet; tynchánon est res sensibilis, id est *factum* vel *eventum* (Sachverhalt, Tatbestand), quod illo «lektón» = judicio mentali decernitur verumne an falsum sit; non autem est res (Ding) singularis et numerabilis; post hoc demum judicium propositio ore expressa fit, quam Stoici «axioma» appellant, id est oratio vel dictio spiritu et aëre emissā; ita évenit, ut ad lektón circumscribendum duae notiones maxime sint necessariae: tynchánon, quod introitum ad lektón creandum repraesentat, et axioma, quod exitum judicii mentalis format.

1. Primo igitur de notione «tynchánon» agatur oportet. Participium «tynchánon» significat non objectum (= Ding) simplicis apprehensionis, sed rem (Sachverhalt), quae solum propositione exprimi potest; tynchánon enim est id, quod accidit (= tynchánon pragma); tynchánon est structura interna rerum atque commissura; jam ex hac observatione sequitur rationem Stoicorum cognoscendi et judicandi ad totam sententiam, non ad quamlibet vocem simplicem spectare; tynchánon extra mentem humanam obvium est sensibile itaque corporeum

et in mundo materiali cuilibet sensui subjicitur, id quod materialismo et sensualismo Stoicorum convenit; sin illud tynchánon deest, lektón in mente non nascitur; quia tynchánon in judicium mentis vocatur, res significanda et diligentissime ab aliis rebus distinguenda est, id quod sensu quodam (vel visu vel auditu vel alio) in mentem vel intellectum transmittitur; tynchánon igitur vel factum vel eventum mundi externi per sensum in animum introducitur, cujus triplex actio (1. simplex apprehensio, 2. judicium, 3. ratiocinatio) ita cietur, ut solum judicium de tynchanonte occupetur; nam materia tynchánonis tantummodo propositione potest exprimi, non simplice voce significatur; tynchánon non jam sentitur, quia non est corpus, sed judicatur ut eventus, et judicium propositione utitur; tynchánon est res propria et specialis; simplice apprehensione solum punctum percipitur; verum tynchánon judicio aestimatur, quia tamquam linea, non punctum est habendum;

2. Tynchánon, cujus natura jam satis disputata videtur, impulsione ab extrinseco ut objectum visum vel auditum aliquo sensu (vel visu vel auditu) capitur et ad phantasiam comprehendentem transfertur et in animum imprimitur; tynchánon fit phantastón; in hoc transitu ab exteriore mundo ad animum internum tynchánon mutatur in noëma, quod Stoici «ennoëma» vocant; hoc ennoëma est impressio in animo facta (= typosis); inter tynchánon et ennoëma versátur in medio «lektón»; mens autem (= nous) vel intellectus accipit a parte principali animi (= hegemonikón) officium deliberationis, speciesne tynchánonis in animum impressa vera an falsa sit; finis vero hujus deliberationis vel judicii lektón vocatur; hoc igitur judicio dicibili objectum visum vel auditum verum aut falsum esse declaratur; his tandem rebus praemissis melius proprietates illius «lektón» ostendi possunt; jam vero ad statum judicii mentalis vel dicibilis pervénimus.

LEKTÓN est ens rationis, quia solummodo in mente ipsa existit, et mere cogitatum atque incorporeum; quamquam Stoici animam materiam esse existimant, tamen lektón esse immateriale docent, quod tynchánoni sensibili et axiomati voce pronuntiato et corporeo est oppositum; ergo lektón ne extensem quidem est neque sensibile; est noëtón et noëma, in quantum

est sententia, quod noëma Stoici propria voce «ennoëma» appellant; lektón nequaquam conceptus est neque subjectivus neque objectivus; etsi communis ars logica tres noëmatis species distinguit 1. conceptum 2. judicium 3. ratiocinium, nihilo setius lektón respondet judicio mentali, quoniam logica Stoicorum de propositionibus vel sententiis agit, non autem de conceptibus; praeterea quod tynchánon solum sententiā exprimi potest, etiam lektón est dictum compluribus verbis compositum, quod postea dici potest, non vero semper dici debet; cum in mente sit, lektón, est universale, quod neque cum «specie» Aristotelis neque cum «idea» Platonis comparari licet, quae utraque ad rem singularem numerabilemque spectat neque umquam totam sententiam complexatur; immo lektón appropinquat ad «koinén ennoian», in quantum haec est propositio; nam plerumque koinai ennoiai ut *sententiae* communes accipiuntur; lektón animo inclusum est, postquam phantasia illud per sensum in mentem recepit et phantastón effecit; quod phantastón vel phantasma per criterium mentis judicatur verumne sit an falsum; id est: mens examinat an phantastón realiter adaequet veritatem tynchánontis necne; effectus hujus examinis «lektón» vocatur, id est judicium mentale jam perfectum et finitum. Lektón ipsum non jam est actio, quae fit, sed actio, quae prorsus facta est et ad finem ultimum pervénit; mens fabricat lektón, quod ipsum numquam falsum neque umquam fallax est, sed indicat rem externam (tynchánon = Sachverhalt) esse aut veram aut falsam, sicut ipsa idea rei malae numquam mala est; lektón igitur est judicium mentale perfectum, ac terminatum; hoc judicium internum aut incompletum (= ellipes) aut completum (autotelés), est;

incompletum est lektón, cum propositio mentalis ex praedicato solo vel ex categoramate sine nomine subjecto nominativum prolato constat, ut exemplum afferam: «currit» ubi illud subjectum (equus) quod currit, non nominatur;

completum est lektón, cum subjectum una cum praedicato dicitur, ut exemplum afferam: «equus currit»;

ex quo discrimine patet lektón esse exemplar mentale et spectrum axiomatis sensibilis, quod postea impulsu animi rectoris (= qui hegemonikón vocatur) flatu vocis corporalis eva-

dit et eodem modo ac lektón in axioma incompletum et completum dividitur; itaque lektón haberi potest tamquam idea axiomatis; et propter claritatem dicendi non lógon, sed lektón Stoici judicium illud mentale nominabant, quia vox «logos» nimiis significationibus (affecta) perdifficilis ad intellectum distinguendum cognoscitur; accedit quod «lektón» ut adjективum verbale unico tantum sensu institutum perspicue ostendit ens neque necessarium neque impossibile, praeterea ens non realiter, sed solum potentia exsistens, tamquam in momento nondum ens; immo est ens dicibile et enuntiable non ut simplex vocabulum, sed ut simplex propositio, quae dici potest et nondum dicta est; scholastici usi sunt voce «verbum mentis», quae nullo modo clare id exprimit, quod lektón valet; verbum mentis significat potius «conceptum», lektón autem numquam ad conceptum, sed ad judicium pertinet; tynchánon ab homine observatum significari (= semainesthai) et vocibus, id est propositione, ad alios homines referri debet; etiam lektón eādem ratione significari atque exprimi oportet; hac tantum viā transitus cognitionis unius singuli hominis a rei naturā ad scientiam multorum hominum fit per lektón et per axioma; omnes autem actiones hujus transitus et traditionis simul uno tantum momento temporis exiguntur.

3. AXIOMA postremo id effatur, quod in lektón assensione aut negatione mentis examinantis de rei veritate, aut falsitate fluxit; axioma est pragma significans (= sémainon), quod vocibus ad mundum sensibilem et ad hominum aures dirigitur, et judicium orale vocatur; axioma ideo corporeum est, quod voce corporeā pronuntiatur et auditu percipitur; interna ratio illius «lektón» actione animi rectoris (qui «hegemonikón» dicitur) spontaneā evadit oratio externa; est extensem, quia verba judicii inter se sequentia seriem vocabulorum late patentem redundunt; est actu perfectum neque jam potentia exsistens, multis qualitatibus abundat, diligentissima est et accuratissima expressio illius judicii mentalis, cui nomen est «lektón»; «axioma» est lektón perfectum, sed pronuntiatum, in quantum de hoc ipso «lektón» agitur; cf. Sextus Empiricus «Hypotyposes Pyrrhoneae», 2, 104 (= p. 90, 22 Mutschmann, Teubneriana); impulsu facultatis animi, qui «hegemonikón» appellatur, ex mente in

linguam et in mundum corporeum transfertur; axioma est audibile; non solum judicium orale, sed omnis propositio a Stoicis axioma nominatur, quod eodem modo ac lektón ita discernitur:

axioma completum (integrum) vel perfectum (=autotelés) tiatio, cuius subjectum abest, ut exempla afferam «currit; loquitur; floret»;

axioma completum (integrum) vel perfectum (=autotelés) est propositio, in qua subjectum una cum praedicato profertur, ut exempla enumerem: «equus currit; Cicero loquitur; arbor floret».

In axiomate igitur semper adest praedicatum, quod «kategórema» vocant Stoici; subjectum ab iis appellatur «ptōsis», id est «casus», qui declinatur, cum «kategórema» flectatur; quia nomen vel subjectum declinari potest, pro hoc subjecto non «nomen», sed «ptōsis» dicitur, quod «nomen» plura significare potest; unde manifestum elucet Stoicos in rebus grammaticis summa diligentia et subtilitate distinguendi usos esse; quamobrem «axioma» vox mere grammatica habenda est, «lektón» autem vox gnoseologica cum fundamento in arte grammatica; axioma instrumento ad rem (= Sachverhalt) enuntiandam est; praeter hoc axioma multae aliae sententiae proprio nomine a Stoicis significantur, quae ab axiomate discrepant; ad extremum per logicam mathematicam sedecim commissurae duarum sententiarum inventae et formatae sunt, quae ars grammatica ipsa numquam sua sponte repperisset.

His denique rationibus expositis natura illius «lektón» lucide circumscripta videtur, postquam in medio illius tynchanontis et axiomatis collocata est:

lektón est judicium perfectum in mente latens;

axioma est judicium profectum ex ore patens;

neque lektón neque axioma sunt actiones, immo solummodo facta et eventa; sicut nummus habet duas partes: anteriorem et posteriorem, ita tynchánon ut nummus habet duas partes: anterior pars est lektón, posterior pars est axioma.

Auctoribus Graecis naturam illius «lektón» desribentibus, utpote qui non semper summa diligentia distinguendi utantur,

plena fides haberi nequit; quam ob rem quemlibet terminorum Stoicorum ex etymologia vocis explanare cogimur.

Denique ad historiam hujus notionis «*lektón*» haec breviter adjungam:

1. *Plato* in dialogo «*Sophistes*» 863 E distinguere videtur inter lektón et axioma; ibi enim «*dianoia*» est judicium mentale, quia in anima ipsa «*sine voce*» fit; hoc idem est ac «*lektón*» Stoicorum (= logos endiáthetos); «*logos autem, qui cum voce*» pronuntiatur, est id, quod Stoici «*axioma*» vocant (=logos prophorikós).

2. *Stoicorum* scilicet doctrina grammaticae et logicae ex incunabulis Peripateticorum orta permovere ut credam etiam Aristotelem differentiam inter Lektón et axioma cognovisse, quae ratio a Theophrasto suscepta videtur esse.

Cf. Aristóteles: *Analytica Posteriora* 76 b 24 qui distinguit τὸν ἔξολόγον (=άξιωμα=λόγος προφορικός Stoicorum) et «τὸν ἐν φυγῇ (λόγον)» (=λεχτόν=λόγος ἐνδιάθετος), qui locus ad Platonis «*Sophisten* 262E recurrit.

3. *Varro* eandem grammaticam et logicam Stoicorum apud Romanos propagavit, cuius amicus Cicero ab illo Varrone de his rebus bene institutus est.

4. *Celsus* deinde qui encyclopaediam composuit, de dialectica quoque fuse disputando Varronem sine dubio exhausisse videtur.

5. *Gellius* 16, 8, 4 Stoicorum fontes sectatus a Favorino Arelatensi magistro philosophiae peritissimo dependet.

6. *Augustinus* «*Principia Dialecticae*» 5 (Migne, PL 32, 1411) hanc tam raram voculam «dicibile» (= lektón) Varrone desumptam habet.

7. *Isidorus Hispalensis* «*Etymologiarum*» 2, 22, 2 ita explicat: «nam lektón dictio dicitur». (dictio autem solum interna mentalis hoc loco intellegi debet).

8. *Thomas Aquinas* et *Petrus Hispanus* «enuntiabile» usurpaverunt pro Varronis voce «dicibile» et pro illo Graeco «lektón».

Augustinus et *Isidorus* documento sunt Varronem vocibus «dicibile» et «lektón» in eodem contextu usum Graecum idem «lektón» per «dicibile» Latine reddidisse.

EMIL ORTH.